



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. XXXIV. De Vastatione Partium Inferorum Prussiae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

*Hermannus de Saltza IV. Magister Gen. Ord. Teutonici.  
Poppo de Osterna II. Magister in Prussia Provincialis.*

junctione Ordinis Ensisiferorum (in Livonia) cum Ordine Teutonico (in Prussia, habitantium) sunt, qui affirmant. Eâ enim lege Fratres Ensisiferorum Cruciferis Ordinis Teutonicorum se subiecisse feruntur, ut vicissim Episcopi Prussici subessent Archiepiscopo Rigensi. *Vid. Franc. Menenius in Delic. Equestris. p. 107.* Sed cum Rigenses eo tempore tantum habuerint Episcopum, nec nisi circa annum 1255. demum adeptus sit Archiepiscopalem dignitatem Albertus II. Episcopus Rigensis, ut Balth. Russow in *Chron. Livan. part. I. fol. 21. b.* tradit, sententia ea probari non potest. Martinus Cromerus autem de Præmislo Rege, qui An. 1295. in Regem Polonorum electus est, agens, dicit, Culmensis Episcopum à Cruciferis prius in ordinem redactum; tunc autem (nempe tempore Præmisli) ut nihil Cruciferi commune cum Polonis haberent, à Gnesnensi Archiepiscopo abstractum Rigensique subiectum esse *lib. XI. de Ort. & Reb. Gest. Polon. pag. 575.* Nostrâ sententiâ eodem tempore Varmiensis Culmensis, & Sambiensis Episcopi fuerunt Archiepiscopo Rigensi subiecti, quamvis tempus determinari vix queat. *Vid. Th. Treterus in Vita Job. I. Episcopi Varm.* Notandum verò & illud est, quod Grunovius refert, Conradum Zölnerum Mag. Gener. Privilegium obtinuisse, ut Episcopi Prussici Archiepiscopo Rigensi subessent. *Vid. Grunov. Tract. IX. fol. 130. a.*

## CAP. XXXIV.

De

### *Vastatione Partium Inferorum Prussia.*

**H**is itaque sic peractis Sventopelcus Dei timore postposito addens mala pejora prioribus, Vitium persecutionis, quod ante quasi occultum fuit, in publicam formam redegit. Ordinavit enim quod Neophyti qui de facili in errores pristinos relabun-

*Hermannus de Saltza IV. Ord. Teut. Magister General.*  
*Poppo de Osterna II. Magister Provincialis Prussiae.*

buntur uno die de omnibus finibus terræ Prussiae spreta & abjecta Religione fidei fratribus movendo bellum rebellarent. Congregati ergo Prutheni omnes quasi Vir unus & idem Sventopelcus factus fuit Dux & Capitaneus eorum & armatâ manu & brachio extenso intraverunt dictæ terræ partes inferiores, & omnes Veteres Christianos, qui de Alemania venerant in subsidium terræ Prussiae, miserabiliter occiderunt, mulieres & parvulos in Captivitatem perpetuam ducentes. Interfecerunt & Fratrem Conradum de Tremonia Virum devotum & in rebus bellicis circumspectum cum omni familia sua, & omnia castra præter Balam & Elbingum expugnantes occisis fratribus & Christi fidelibus funditus everterunt.

## CAP. XXXV.

De

*Vastatione Partium Superiorum**Prussiae.*

NON longe postea idem Sventopelcus filius Diaboli congregavit iterum neophytos Apostatas, & ingredientiæ armata manu hostiliter partes superiores, sive terram Pomesania & Culmensem rapina & incendio devastabant, expugnantes & penitus destruentes omnia Castra & munitiones præter tria scilicet Thorun, Colmen, & Redimum, de populo etiam DEI ad laudem & gloriam ejus ibi habitante trucidaverunt IV. Millia, sic quod tota terra Prussiae videbatur Christianorum sanguine rubricata.

Q 3

CAP.